

## De conventibus mathematicorum

Multos ante annos, cum dissertationem doctoralem scripsi, conventui magno mathematicorum Dunelmæ interfui. Primo die mane in deversorio omnibus mensis occupatis mecum volutavi ubi considerare mihi liceret. Multos mathematicos celeberrimos cognovi quorum opera saepe diu frustra intellegere conata eram; cum iis colloqui numquam ausa essem. Denique mensam animadverti ubi vir satis iuvenis cum uxore sua ientaculum comedit. Cum eum virum aspectu simplici atque candido mathematicum postdoctoralem quendam esse mente fingerem nullo modo timendum, me iis adiungere constituti. Paulo post colloquio animato exorto multa lepida narraui, gaudens quod interlocutores tam iucundos atque gratos invenissem. Denique interlocutorem meum rogavi in qua universitate operam daret. "Princeton." Obstupefacta eum perscrutata sum, certa quod omnes mathematici iuvenes illius universitatis quae inter optimas in orbe terrarum numerabatur mihi essent noti. Fronte contracta eum iterum rogavi quod esset nomen suum. "Christophorus." Ita, hoc iam scivi. Et nomen gentile? "Smith." Perterrita atque incredulis eum aspexi: is vir iuvenis, aspectu tam simplici quod eum in diribitorio tabularium operam dare mente finxissem nisi eum mathematicum esse scivissem, ille professor erat celeberrimus cuius solutiones variorum problematum summa difficultate multis praemiis sunt honoratae? Cum sudore madida mihi ipsae male dicerem quod illum virum tam false existimavissem, uxorem eius me ridentem aspicere animadverti. Fortasse aspectum mariti sui omnino non imagini professoris celeberrimi congruere scivit?

-----

Cum nunc conventibus mathematicorum intersim, a paene omnibus recognosci soleo, etsi ego ipsa nomina atque aspectus mathematicorum iuvenum satis male in memoria teneo. Saepe Davidem memoria optima praeditum consultare cogor ne bis vel ter eundem iuvenem de nomine suo rogam.

Aliquot ante annos orationem Darmstadii habui; cum post orationem una cum mathematicis illius universitatis in caupona cenavi, inter iuvenes mathematicum quendam animadverti qui me summa familiaritate tractavit et qui etiam mihi satis familiaris videbatur esse. Fortasse eum iam in conventu quoddam conveneram? Eum discipulum doctoralem esse comperi qui problema quoddam solvere conaretur investigationibus meis valde coniunctum. Itane? Deplorans quod David eo tempore Turici permansisset eum iuvenem rogavi quis esset ille professor sub cuius auspiciis dissertationem suam scriberet. Obstupefactus is iuvenis me aspexit antequam cachinnum sustulit: "Sara, discipulus sum mariti tui! Hebdomada praeterita diu tecum de investigationibus meis locuta sum." Valde erubui cum subito eum recognovi. Sed discipulum Davidis orationi meae in universitate quadam Germanicae interesse omnino non exspectaveram!